

onem. *Priori modo sunt abrogatae, non posteriori.* Objic. judæi (1) *Sabbathum vocari foedus aeternum, Exod. 31. v. 16.* Resp. Vox *עוול* de leviticis ceremoniis usurpata, significat non absolutam aeternitatem, sed diuturnam, attamen finitam durationem *Dan. 9. 27.* (2) *DEUM esse immutabilem, Num. 23, 19.* R. *DEUS* tantum praescripsit leges temporales, *Hebr. 9. 10.* In Caelo enim erimus liberi, & etiam a quibusdam legibus tempore meliorationis. Cur ergo mutabilis?

IN LOCO.
DE LEGE JUDICIALI.
THEOREMATA.

1. **L**eges Judiciales sunt praecipua divina per Mosen tradita, quibus praescribitur, quomodo in causis controversis & delictis populi civilibus fuerit judicandum, ut externa disciplina in populo Judaico conservaretur, & is a gentibus discerneret.
 2. Reduci possunt ad singula Decalogi praecipua.
 3. Ad *primum* praecipuum pertinent constitutiones de idololatriis, *Exod. 22, 20.* somniorum interpretibus, *Deut. 12, 2, 3.*
 4. Ad *secundum*: Constitutio de blasphemis, *Lev. 24, 15. 16.* Sagis, *Exod. 22, 19.* Hariolis *Levit. 20, 27.*
 5. Ad *tertium*: Constitutio de violatoribus Sabbathi, *Exod. 35, 2.*
 6. Ad *quartum*: Officiu Regis, *Deut. 17, 18.* Leges, de Servis, *Exod. 21, 2. seq. cap. 22, 21.* *Levit. 24, 22. c. 25, 44. seq.* Pauperibus, *Deut. 15, 4.* Orbis cap. 24, 17. Liberis contumacibus, *Deut. 21, 18. seq.*
 7. Ad *quintum*: Leges de Homicidio voluntario, *Exod. 21, 12.* Fortuito, v. 23. Bello, *Deut. 20. 1.* Lesione proximi, *Exod. 21, 18. seq.* Officiis humanitatis, c. 23, 4. 5.
 8. Ad *sextum*: Constitutiones de Conjugio, *Levit. 18.* Stupro, *Exod. 22, 16.* Scortatione, *Deut. 22, 22.* Adulterio, *Num. 5, 12.*
 9. Ad *septimum*: Constitutiones de plagio, *Deut. 24, 7.* Furto, *Exod. 22, 1.* Deposito, cap. 22, 7. Conducto, v. 14. Usura, *Levit. 25, 36.* Pignore, *Exod. 22. v. 26.* *Deut. 24, 6.*
 10. Ad *octavum*: Constitutio de testibus, *Deut. 16, 15. 16. 17. seq.* Calumniis, c. 22, 13. seq. & sic praeterea.

DICTA